



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

LXXX. Markgraf Woldemar verleiht den Städten Stendal, Tangermünde,
Gardelegen und Osterburg das ausschließende Recht zu malzen, am 16.
Juli 1314.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

LXXIX. Markgraf Woldemar befreit die Stadt Stendal von aller Heeresfolge außerhalb ihrer Stadtmauern, am 24. Februar 1314.

Vniuersis, ad quod presens scriptum peruenerit innotescat, Quod nos Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie marchio, Tutorque Incliti principis Johannis marchionis Brandenburgensis, prudentes viros Consules ac vniuersitatem Ciuitatis nostre Stendalensis ea duximus prerogative gracia extollendos, ac talem ipsis concedimus libertatem, quod propter nullius gwerre uel dissensionis oportunitatem ubicumque licet futurarum ipsi Ciues possint vel debeant per nos vel per alium nostro nomine trahi uel vocari pro defensione aliqua uel subsidio faciendo inuiti extra muros et septa Ciuitatis eiusdem, sed intra muros suos tantummodo insultus, si qui ipsis imminere, teneantur pro viribus propulsare et nullius intuitu necessitatis extra Ciuitatem modo aliquo euocari. Proinde predicti nostri ciues dederunt nobis complete ducentas marcas argenti brand. et pond. eiusdem — Testes — Bartholdus Schenko, Henningus de Blankenborch, Henningus et Heinricus de Steghelitz, bernardus de buk milites, Slotheko, nostre prothonotarius curie et alii fide digni. Datum per manum Hermanni de Luchow, nostre clerici in Spandow, die beati Mathie apostoli, Anno domini M^o. CCC^o. XIII^o.

Nach dem Orig. im R. Geh. Staats-Archiv R. 442. Dasselbe ist mit einem Einschnitte versehen und in dorso mit der Bemerkung: Valet pessime. Die Urkunde war bisher in der Kenz'schen Sammlung abgedruckt, jedoch mit dem Datum die Mathei apostoli (21. Sept.).

LXXX. Markgraf Woldemar verleiht den Städten Stendal, Tangermünde, Gardelegen und Osterburg das ausschließende Recht zu malzen, am 16. Juli 1314.

Noverint uniuersi, ad quos pervenerit presens scriptum, quod nos Woldemarus, Dei gracia Brandenburgensis, Lusacie et Landesberge Marchio, nostris fidelibus civibus civitatum Stendale, Tangermunde, Osterborch et Gardelege uniuersis et singulis subscriptam libertatem indulgimus et per presentes literas valituram perpetuo indulgemus. Nullus siquidem hominum residens in rure Tangermundenfi et Gardelege advocatarum, cuiuscunque status existens, siue sit prefectus, tabernarius, villicus vel villanus aut alterius condicionis, de cetero brasium facere debet, exceptis militibus et armigeris inibi morantibus, in quorum curiis singulariter nil plus brasii parari debet, quam pro cuiuslibet cerevisia sufficit annuatim. Ceteri vero brasio indigentes id emendo in dictis civitatibus et non alias, dum indigerint, comparabunt. Quicumque autem ausu temerario contra fecerit, penam proinde decem censetur luere talentorum, quorum quinque ad nos, et residua quinque ad predictarum civitatum cives distinctim pro modo emende excessus huiusmodi pertinebunt. Quam quidem pecuniam nos aut nostri heredes, si quos Deo dante procreaverimus, seu successores per nostros advocatos tunc temporis, dum per ipsos cives exquisiti fuerint, procurabimus extorqueri. Proinde prefatarum civitatum cives videlicet Stendalientes nonaginta marcas argenti, Tangermundenfes triginta, Gardele . . . , Osterborch nobis in parata pecunia per-

solverunt, de quibus ipsos quitos omnino dicimus literas per presentes, quibus nostrum sigillum in hujus facti evidens testimonium est appensum, presentibus testibus scilicet nobili viro Domino Gunthero Comite de Kevernburg, Nicolao et Bernharde de Buk, Bertoldo pincerna, Henrico de Rochowe, militibus, et Lothekino, nostre curie prothonotario, cum aliis pluribus fide dignis. Actum et Datum Sandowe, Anno Domini MCCCXIV. in crastino divisionis beatorum Apostolorum.

Nach Lenz Br. Urf. S. 191. 192.

LXXXI. Markgraf Woldemar vereignet einem Altar in der Marienkapelle zu Stendal gewisse Gebungen, am 27. August 1314.

In nomine Domini. Amen. Oblivio omnia, licet legaliter et civili peragantur providentia in nichilum redigit, nili et testimonio literarum in memoriam perducantur eternam; Hinc est, quod nos Woldemarvs, Dei gracia Brandenburgensis, Lufacie et de Landesberg Marchio, recognoscimus per hec scripta, quod propter Deum et animarum nostre et nostrorum progenitorum salutem dedimus et solemnitate, qua expedit, donamus liberaliter absque onere precarie cujuscunque proprietatem decem frustorum duri frumenti, quorum duo sita sunt in villa Mokeren, unum in villa Yrckfleve, tria in villa Stenveld, et in villa Infel quatuor, et hec decem sunt situata ad altare quoddam structum in Capella beate Marie in civitate Stendaliensi, consecratum in honore ejusdem gloriose virginis et beatorum Johannis Baptiste et Matthe, Renunciantes dicte proprietati solemniter quoad nos, heredes nostros nec non quoslibet successores perpetuo in hiis scriptis. Et pro hujusmodi nostra liberalitate per Rectorem ejusdem altaris in omnibus nostrorum progenitorum, nostri et nostrorum successorum anniversariis memoria solempnis in vigiliis atque missis erit. De predictis quoque decem frustis Rector altaris ejusdem tollet annuatim octo frusta, reliquis duobus vinum, oblate, et necessaria alia et luminaria ad dicti altaris officium expediencia comparentur. Et ut hujusmodi factum salutare maneat perpetuo inconvulsam, presens scriptum dari iussimus nostri sigilli imagine roboratum. Presentes testes ad hoc vocati sunt Reverendus pater Dominus Fredericus, ecclesie Brandenburgensis Episcopus, Illustris princeps Dominus Albertus Comes de Anhalt, dilectus noster sororius, Guntherus de Kevernburg Comes, nostre curie Dapifer, Bertoldus Schenko, Bernardus de Buck, milites, Sloteko prepositus Dymminensis cum pluribus aliis fide dignis. Datum Ratenow, Anno Domini MCCCXIII. feria tertia proxima post diem Beati Bartolomei Apostoli.

Beckmann's Beschreibung a. a. D. Sp. 138. Lenz a. a. D. 193.